



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 51. Guisius Dux Regem Carnuti accedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. LI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.*Guisus Dux Regem Carnuti accedens.*

Postmodum Rex eadem die, qua Parisiensis Curia hoc edictum ad tabulas referebat, Rothomago discedens primo Vernonium contendit, ibique eum Curiae Deputati præstolantes honorifica oratione salutabant: inde vero Rex Meduntam petiit, ubi Reginam Matrem suam excepit, quæ etiam impense Regem rogabat, ut Parisios reverteretur: cum autem incassum instaret, repulsam, quam a Rege tulerat, iniquissimo ferens animo illum Carnutum usque comitabatur, inde autem Parisios reversa secum Guisium Ducem adducere moliebatur, hunc enim in Regis gratiam revocare, quovis periculo nitebatur: igitur Dux Carnutum die Sabbati trigesima Julii veniens speciatenus summa cum submissione, ac veneratione coram Rege sistitur: verum ex eius agendi ratione facile deprehendebatur, quod supremo imperio dominandi cupiditas animi ejus generositatem acueret: nihilominus hoc colloquium mutuis utrinque obsequiosis testificationibus absolvebatur: feria autem secunda sequenti, seu die prima mensis Augusti advenerat Lugdunensis

P p 2

Archi-

*Thuan. l. c.**Davil. l. 9.**pag. 618.**Mem. de**l' Etoil. t. 1.**pag. 252.*

Sæcul XVI.
A.C. 1588.

Archiepiscopus unacum pluribus aliis, qui una omnes a Rege perbenigne excipiebantur, ubi dein urgente Guisio Duce, ejusque Affeclis Regina Mater, quæ Filii sui reditum ad Parisinam urbem peroptabat, rursus apud eundem vehementer institit, cui Rex reposuit: „id numquam a me impetrabis, hinc rogo te, ne ullatenus mihi hac in re molesta sis, quocirca Regina opem in lacrimis quærebat, quas pro suo arbitrio, quotiescunque expedire censebat, fundens subjunxit: „Ah! care Fili! quid de me dicetur? quis deinceps meam reverbitur auctoritatem? qua ratione fieri potuit, ut tam cito a pia animi tui indole degeneres? Rex mox respondit: „si malum feci, ad id me Espernonius Dux induxit, nec plura locutus cessit.

§. LII.

Guisius Dux supremus Regni Vicarius, & Borbonius Cardinalis primus Regii sanguinis Princeps promulgatus.

Thu. & Dav.
vii. l. 6.

Rex cum Carnuti subsisteret, in suo Senatu promulgari, atque pacificationis edictum a singulis interposita juramenti religione firmari præcepit: postea vero palam bellum Protestantibus nuntiabatur, decretumque, ut duo

cor